



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CXLVI. Argumentum. Explicatur in hac Decisione. 1. Quid sit adulterium? 2. Quotuplex? 3. Quàm grave peccatum? 4. Qui ejus pessimi effectus? 5. Quæ ejus pœnæ? 6. Quæ ejus remedia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

sunt neque a casibus per Episcopum reservatis, neque a contentis in Bulla Cœnæ Domini ex Decr. S. Congreg. diei 17. Novemb. 1628. quod ponit Novarius in *Summ. Bullar.* p. 1. comm. 135. Panimoll. *decif.* 113. num. 1. & a me probatum fuit in Decisionibus de Penitentia. *Decif.* 46. numer. 16.

Et ex his omnibus Parochi, & animarum Curati argumenta sufficientia habebunt pro deterrendis humanis mentibus à tanto excessu Abortus committendi, consulendi, aut approbandi. Legitur, quod Cervæ feliciter pariant, ubi concrepant tonitrua, juxta illud; *Vox Domini præparantis cervos*; vel ut alii vertunt *parere facientis cervos*. *Psalm.* 28. 1. Si Rectores Ecclesiarum tanquam tonitrua fecerint Vocem suam, prædicando contra hoc crimen, Puerperæ felices partes dabunt.

D E C I S I O CXLVI.

A R G U M E N T U M

Explicatur in hac Decisione. 1. Quid sit Adulterium? 2. Quotuplex? 3. Quam grave peccatum? 4. Qui ejus pessimi effectus? 5. Quæ ejus poenæ? 6. Quæ ejus remedia?

S U M M A R I U M.

1. Adulterium quid sit, & unde sic dicatur?
2. Quotuplex?
3. Adulterii gravitas, & enormitas.
4. Matrimonii Autor Deus.
5. Conjunctiones tres Mystica ex Matrimonio.
6. Animata ab adulterio abstinentia.
7. Adulteri penitentes olim per annos 15. extra Ecclesiam.
8. Adulterii criminis effectus.
9. Restitutioni obnoxius est Adulter ob hereditatem filiorum.
10. Adulterorum salus quasi desperanda.
11. David cur dicatur punitus ob adulterium, non ob homicidium Uriæ?
12. Adulterium sapit etiam crimen sacrilegii.
13. Lesaque Majestatis.
14. Poena contra adulteros de Jure Divino, Canonico, & Civili.
15. Adulteri de Jure Divino lapidandi.
16. Poena Juris Canonici contra Adulteros.
17. Nasus abscondebatur Adulteris, & Virilia.
18. Adulteri puniti penis atrocissimis.
19. Maritus an possit occidere amicum, & uxorem adulteram?
20. Mariti fidem non frangant uxoris.
21. Uxores retrahenda à ludis, & aliis publicis sessionibus.
22. Matricorum mala tractamenta causant Uxorum adulteria.
23. Adulterorum familia exterminata.
24. Visio horrenda adulterorum punitorum in inferno.
25. Adultera brachium combustum aqua frigida.

Quoad Primum dixere, Adulterium, (quod Græcè dicitur *πορνεία*, as *η*; Hebraicè autem *זנות*) esse alieni thori violationem, vocarique adulterium, quasi ad alienum Thorum ac-

cessionem. *can. Lex illa*, §. *Quam ergo* 39. *quasi*, 1. & *can. Non mœchaberis*, 32. *quasi*, 5. Alii pariter scripsere, Adulterium esse illicitum concubitus conjugati, vel conjugati. S. Thom. 2. 2. *quasi*, 154. art. 8. Tholosan. *Synagm. Jur. Univ. lib.* 36. cap. 6. num. 2.

Quoad secundum. Duplex est Adulterium, Spirituale, & Carnale. Adulterium Spirituale est quodlibet mortale peccatum Christiani hominis; quoniam qualibet anima Christiana est desponsata Christo, juxta illud *Et sponsabo te mihi in fide*; & scies, quia ego Dominus, *Osea* 2. 20. Adulterium Carnale est illud supra definitum, & subdividitur in simplex, & duplex. Primum est, quando unus adulter tantum est conjugatus. Alterum, quando uterque habet conjugem; & gravius censetur, quando ipsa adultera est conjugata. Sum. Diana *Verb. Adulter*, num. 1. Mastrius in *Theol. Moral. disp.* 11. num. 125. & passim omnes.

Quoad Tertium. Gravitas hujus facinoris, & enormitas adulterii ex eo comprehenditur; quia, qui mœchatur, offendit legem Divinam, Naturalem, Canonica, & Civilem. Offendit legem Divinam, quia Matrimonium non solum est contractus humanus, sed Sacramentum Ecclesiæ à Christo Domino institutum. Sanchez de *Matrim.* lib. 2. *disput.* 10. Unde Apostolus loquens de Matrimonio ait: *Sacramentum magnum est ego autem dico in Christo, & Ecclesia*. *Ephes.* 5. 32. Aliquid autem dicitur magnum, vel respectu Autoris, ut si Princeps rem aliquam componat sua propria manu, vel respectu materię, si sit pretiosa, vel respectu finis, si sit magnæ levitantię. Autor Matrimonii ab initio fuit Deus, Quod Deus conjunxit, homo non separet. *Marc.* 16. 9. Deinde Christus Dominus; Ego autem dico in Christo, & Ecclesia. *Ephes.* 5. 32. Materia sunt ipsi conjuges, qui etiam post receptum Matrimonii Sacramentum, cum non materia mortua, (ut aqua, completo Baptismo) sed vivant, sunt symbolum Sacramenti, & quid sacrum ob ipsum Sacramentum, quod in eis perseverat usque ad mortem ipsam. Cardin. Bellarmin. lib. 1. de *Matrim.* cap. 6. Finis, quia Matrimonium repræsentat Unionem hypostaticam Verbi cum natura humana, Christi cum Ecclesia & animæ fidelis cum Christo; unde leguntur in Missa pro Sponso, & Sponsa hæc Verba: Deus, qui tam excellenti Mystero conjugalem copulam consecrasti, ut Christi, & Ecclesiæ Sacramentum præsignares, &c. Igitur qui committit Adulterium, grande peccatum committit, quia rem sacram deturpat, & legem Divinam offendit. Unde Job ait de Adulterio: *Nefas est, & iniquitas maxima*. *Job.* 31. 11. Offendit legem Naturalem, docentem, Quod tibi non vis, alteri ne feceris: & quam fera ipse sentiunt, ac observant; ut Turtures, & Columbæ; imo ipsi Elephantes, qui una cum socia tantum coeunt. *Plinius lib.* 8. cap. 5. & *Solinus cap.* 58. Imò ab Elephantibus occisas fuisse mulieres adulterantes, scribit *Plinius lib.* 11. de *Histor. Animal.* cap. 15. Offendit legem Canonica; quæ olim adeo hoc facinus detestabatur, ut adulteros non admitteret in Ecclesiam, nisi post quindecim annorum spatium rigorosa Penitentia completorum; unde Sanctus Basilus testatur in *Epist.* 3. *Canonic. ad Amphilo-*
Quod

7 Quod quatuor annis, Adulter erit deflexus. Quinque erit audiens, id est admittebatur tantummodo ad audiendas conciones. Quatuor erit prostratus, videlicet apud portam Ecclesiae. In duobus confitens, id est intus Ecclesiam, sed sine communione. Ecce quantam malitiae gravitatem lex Canonica agnoscebat in Adulterio, quae illud tam rigore puniebat; & tunc exclamabat, atque nunc etiam exclamat: Quid in omnibus peccatis Adulterio gravius? Cap. Quid in omnibus. 32. quast. 7. Apostolus Paulus volebat, hoc facinus defendendum esse à tota Civitate. Et vos inflati estis, & non magis lucum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit? 1. Cor. 5. 2. quo loco subdit S. Joan. Chrysost. Unus erat, & tantum gemebat Paulus, tantum tota perditur Civitate. Offendit Adulter Jūs Civile, & totam Rempublicam, cujus interest, honestatem in Uxoribus servari, ad evitandos effectus perniciosissimos, de quibus infra; ideo, ait Philo: Adulteri capite plectendi, ut publici hostes humani generis, lib. de special. legibus. Quocirca.

8 Quoad Quartum. Adulterium producit omnes illos pessimos effectus, quos pariunt graviora, ac capitalia facinora, videlicet Furtum, Detractio, Homicidium, Sacrilegium, & Lascia Majestatis delictum; quibus Adulterium est scelestius. Siquidem est gravius Furto, nam furatur hereditates debitas legitimae proli illas transferendo ad illegitimam, & adulterinam. Adulterium latrocinium est, ait S. Jo. Chrysost. imò omni latrocinio gravior transgressio. In Hom. 3. sup. 1. ad Thessalon. Nathan quoque exprobravit Adulterum David sub Parabola oviculæ, furto sublatae. 2. Reg. 12. Et ideo Adulter non est absolvendus, nisi damnum compenset proli legitimæ, restituendo eidem, quantum capit ex hereditate mariti filius adulterinus. Molina de justit. & Jur. disput. 103. num. 3. Layman. lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 14. num. 2. Maffius in Theol. Moral. disput. 9. num. 46. 47. ubi tractat de obligatione Matris adulteræ, & quid sibi sit agendum; maxime ubi ipsius maritus esset Divus, & filios haberet legitimos, quod nos disputavimus supra in Decis. 91. à Studioso repetenda. Est Adulterium gravius Detractione, imò gravissima detractio, ita lædens famam mulieris, mariti, familiae, ac consanguineorum, ut nullus restet locus, seu modus restitutionis faciendæ; quare quasi videtur desperanda Adulterorum salvatio: Nolite errare, ait Apostolus, Adulteri Regnum Dei non possidebunt. 1. Cor. 6. 10. Est gravius Homicidio, tum quia frequenter Adulteræ à maritis necantur, tum quia Abortus, & infanticidia grassantur, & ideo, est notatu dignum, quod subdit Tholosanus Syntag. Jur. Univ. dict. part. 3. lib. 36. cap. 6. num. 2. scilicet, quod Quamvis ob adulterium Bethsabea, Uxorem ejus David occidi curasset, nihilominus pro Adulterio tantum puniendus atrociter fuit, ut legitur lib. 2. Reg. 12. ubi Deus conqueritur de Adulterio, & nihil de Homicidio: Sacrilegio pejus est Adulterium, quia, ut diximus, Adulter in Sacramentum delinquit, & in rem sacram; & sicut majus est delictum percutere Sacerdotem, quam laicum, & comburere Ecclesiam consecratam, quam domum profanam; ita gravius est Adulterium, quam fornicationem

12 committere. Hinc Siricius Papa in Epist. ad divers. cap. 4. dixit: Conjugatis fidei violationem apud fideles cujusdam sacrilegii instar esse. Qui abutuntur Sacramentalibus, puta aqua baptismali, oleo vè Chrismatis, vocantur Sacrilegi. Layman. lib. 4.

tract. 10. cap. 7. num. 13. Sic sunt Adulteri, qui, ut probavimus, in materiam Sacramentalem peccant, id est corpora conjugum. Paul. Segneri in Christian. Instruct. part. 5. serm. 26. num. 17. Tandem crimini Lascia Majestatis æquale censetur Adulterium; quia commovet cives ad arma, & publicam quietem perturbat. Marc. Mantua (Eruditissimus, ac Nobilissimus Patricius noster Patavinus) Singul. 117. num. 2. Vesembecius in Paratit. tit. de Adulter. num. 1. Et ideo minor non excusabatur à poena in hoc delicto. 1. Auxilium. l. 28. §. Sed ut ad Legis. & §. In Delicto. De Minorib. 25. annis.

Quoad Quintum. Poenæ aliæ sunt de Jure Divino, aliæ de Jure Canonico, & aliæ de Jure Civili contra Adulteros. Poenæ Juris Divini sunt gravissimæ tum in anima; quia Qui Adulter est, perdet animam suam. Prov. 6. 30. tum in corpore, quia adulteri lapidabantur. Si mæchus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjugis proximi sui, morte moriantur Mæchus, & Adultera. Levit. 20. 10. Hinc Susanna ducebatur, ut lapidaretur ob impactum à senibus adulterium. Dan. 13. 62. & mulierem deprehensam in adulterio Judæi duxerunt pro hac poena ad Salvatorem. Joan. 8. 5. Imò ante legem scriptam adulteri cremabantur vivi. Genes. 38. 28. Poenæ de Jure Canonico, sunt excommunicatio, cap. Intelleximus. De Adulter. Divortium. cap. Significasti. & cap. Ex literis. de Divort. Amissio Dotis. cap. Plerumque. 4. de Donat. inter Vir. & Uxor. Criminis impedimentum, quod dirimit Matrimonium contrahendum inter adulteros, de quo sibi promissionem fecerunt. cap. 1. & 2. de eo, qui duxit in Matr. quam poll. per adul. Summa Diana Verb. Impedimenta Matrim. num. 9. Poenæ de Jure Civili aliæ sunt ignominiosæ, ut Nasi abscissio, ac etiam virilium. Tholosan. Syntagm. Jur. d. lib. 36. cap. 6. num. 15. & 16. ubi primam irridet Martialis lib. 3. Epigram.

Quis tibi persuasit nares abscindere Mæcho?
Nil hac peccatum est parte, Marite, tibi.
Stulte quid egisti? Nil hic tua perdidit Uxor.
Cum sit salva sibi Mentula Deipho.

De secunda verò meminit Horatius lib. 9. Satyr. 2.

Quin etiam illud
Accidit, ut quidam testes, caudamque salacem
Demeteret ferro.

Aliæ autem sunt poenæ dolorosæ, & capitalles. 1. Quamvis. §. Sacrilego. C. ad Leg. Jul. de Adulter. Authen. Sed hodie, C. de Adulter. Jul. Clar. lib. 5. Sent. §. Adulterium. Sed inflicta exquisitissimis tormentis: nam Opilius Macrinus Imperator vivos jubebat cremari ambos adulteros. Alios inclusos in ventre bovis, fœtor, & vermes excruciant usque ad mortem. Aurelianus Imperator militem adulterum, complicatis per viam duabus arboribus, earum summitatibus adulteri pedes fecit alligare, à quibus se rapidè erigentibus miserimus in duas partes scissus fuit. Menoch. in Oeconomic. lib. 7. cap. 6. num. 6. Tholosan. d. lib. 36. cap. 6. per totum; ubi exemplificat circa omnes, quamvis barbaras mundi nationes; à quibus semper adulteri atrocissimis poenis affecti obiere; quod etiam narrat Tiraquell. in Leg. Connub. 13. à num. 6. & seqq. adeò ut leges civiles permitterent etiam maricis occidere amasium, & uxorem adulteram; quamvis id sit prohibitum de Jure Canonico. cap. In resecutores. cap. Inter hac. cap. Quicumque. cap. Ad

enonere, 32. quest. 2. Quia privata autoritate id non licet absque mortali peccato. Molina tract. 3. disp. 7. Lessius de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 9. dub. 5. Layman. lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 2. num. 4. Et si maritus esset excusandus a peccato, si ex nimio dolore incontinenti occideret, ac etiam ab excommunicatione, si adulter esset clericus occisus. cap. 3. de Sent. excomm. Eminentijs. Cardin. de Luca in Miscell. Eccles. discurs. 20. num. 4.

Ex quibus omnibus Parochi prædicare volentes contra hoc maximum Adulterii crimen, amplissima poterunt deferre argumenta, ac etiam ex cit. Paulo Segneri in Christ. instruct. part. 3. serm. 26. per totum.

20 Quoad Ultimum. Remedia hæc sunt. Primum, ut ipsi mariti fidem non frangant uxoribus; illæ enim sæpe sæpius in vindictam adulterantium maritorum adulterantur. Sic Ovidius lib. 2. de Arte amandi:

Hoc bene compositos, & firmos rumpis amores,

Crimina sunt cauti ista timenda viris.

Clytemnestra uxor Agamemnonis Regis, cum cognovisset ipsum irretitum amoribus Chrysis, Briseida, & Cassandræ filia Priami, amplexa est adulterum. Ovidius d. lib. 2.

Dum fuit Arides una contentus, & illa

Castra fuit, vitio est improba facta viri.

Unde Aristoteles in Oeconom. cap. 4. ait: Primum leges sint viro ad uxorem, ut injuria cesset; sic enim nec ipse injuriam patietur. Remedium Secundum est,

non permittere uxoribus, ut ad quoscunque saltus, ludos, seu concursus accedant. Ne des aqua tua exitum, nec modicum, nec mulieri nequam veniam prodeundi: ait Ecclesiast. 25. 38. Reperiuntur enim mariti ita fatui, ut nimiam libertatem concedentes uxoribus, causent earum errores;

& hos viros vocat Gynæocratomenos, Plinius lib. 6. cap. 13. id est, subiectos mulieribus; quia, Nunquam oportet, virum sapientem mulieri remittere frangum, neque sinere, ut libere imperet, docebat Euripides apud Stobæum serm. 72. Et Ecclesiast. 9.

2. Non des mulieri potestatem anima tua, ne ingreditur in virtute tua, & non confundaris. Remedium Tertium; quod Mariti diligant uxores, bene tractent, necessaria ad victum, & vestitum, & familiæ conservationem subministrant; nam eorum asperitas, seu in cauponis, ludis, aut conver-

22 sationibus dissolutio tentat uxores ad malum, ut turpe lucrum, pro egestate sublevanda, obtrineant. Deus ex costa Adami produxit Hevam, non ex capite, aut ex pedibus. Genes. 2. 22. ut ei esset socia, non imperans, neque sub pedibus conculcaretur. I. Adversus. C. de crim. expil. hæredit.

Quare Apostolus scribens ad Ephes. 5. 25. ita ait: Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, &c. Ita & viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit; nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam.

Utinam tot Epulones hanc obligationem caperent, & exequerentur. Oh! si Parochi exclamarent adversus illos, & quasi Tuba exaltarent vocem suam, & annuntiarent iisdem scelera ipsorum! Remedium Quartum, & ultimum; Mariti, & Uxores Deum timeant; scientes, quod sicut

Adulterium Nefas est, & iniquitas maxima. Job. 31. 11. ita Adulteros iudicabit Deus. Hebr. 13. 4. Et non solum puniet eos, & ante mortem, & post

mortem, sed etiam exterminabit eorum familias. Filii adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Sap. 3. 16. Addatur exemplum Uxoris cujusdam Mariti cum alia moechantis, quæ in forniciis vidit in inferno ardentes fornaces plenas hominibus adulteris complicatis cum Draconibus, qui in eos picem, & plumbum ignitum evomebant; unamque fornacem vacuum aspexit, quæ parata erat viro suo, quem ipsa monuit, & reduxit ad poenitentiam; ut ex Chronicis S. Dominici refert Paul. Segneri in Christ. instruct. d. part. 3. discurs. 26. num. 20. Huic addendum aliud exemplum, quod narrat P. Carolus Rosignolus Soc. Jesu part. 2. Meravigl. 28. de quodam Marito Deum timente, qui cognito adulterio Uxoris suæ voluit vindictam à Deo expectare: cumque quadam die federet cum Uxore apud fontem aquæ frigida, manifestavit ei suspicionem suam incontinentiæ ejus. Uxor coepit jurare, se esse innocentem. Tunc Maritus ad illam. Ergo pone manum, & brachium in hanc frigidam aquam, & saxum ex ea trahe. Statim sic Uxor fecit: & ecce pellis, & caro brachii consumpta cecidit, ac si aqua fervide ebulliret. Tunc Maritus ab eo divertit, hortatus illam, ut ageret de suo Adulterio poenitentiam.

DECISIO CXLVII.

ARGUMENTUM.

Proponitur: Quid sit Ambitio? Quantum perniciofa? Quæ remedia adversus illam?

SUMMARIUM.

1. Ambitio quid sit? & unde dicta?
2. Candidati cur vocentur, qui sunt promovendi ad dignitatem?
3. Ambitionis natura mala.
4. Ambitio homicidia parat.
5. Ambitio filii Caesaris, & Agrippina.
6. Ambitiosi odio habent etiam consanguineos.
7. Aulicorum propria est ambitio.
8. Monasteria non sunt immania ab Ambitionis vitio.
9. Exempla Religiosorum ob ambitionem expulso- rum à Monasteriis.
10. Clerici Seculares ambitionis causa lapsi in hæresim.
11. Senatus Apostolicus astu ambitionis agitatus.
12. Adam, & Eva ab ambitione percussus.
13. Luciferum ambitio precipitavit à Cælo.
14. Remedia tria contra Ambitionem.
15. Moderatio facit beatam vitam.
16. Bulla Pontificia contra ambientes Ecclesiasticas dignitates.

Quoad Primum Dixere, Ambitionem esse inordinatum appetitum honoris terreni, & amplitudinis Dignitatis. S. Thomas 2. 2. quest. 131. art. 2. Et Ambitio dicitur ab Ambio, id est Circumdo, quia Romani affectantes Magistratus circuibant, rogantes tum populum, tum Senatores, ut se suffragiis adjuvarent, & sic circumdabant istum, & illum; prout servatur Venetiis in Platea Sancti Marci inter Nobiles, cum quis petit aliquam Dignitatem, & ut vulgo dicitur, fa broglio. Petr. Gregor. Tholosan. Synagm. Jur. Univ. part. 3. lib. 26. cap. 29. num. 5. ubi observat, quod qui ambiebant dignitatem in Republica Romana, dum faciebant circuitionem ad Patricios, & ad Plebem,